



**Programma Quo Andreas Amsel/ D. Sereniss. Ducum Mecleburg. Consistorii Provin. Adsess. ... Decanus, Suo & Dnn. Collegarum nomine, Ad Disputationem Inauguralem, Quam ... Joannes Crause/ Rostochiensis, De Collectis Ad d. XX. Martii ... constituit, Omnes literatos ... observanter & officiose invitat : [P.P. Rostochii, sub Sigillo Facultatis Iuridicae, die IX. Mensis Martii, Anno MDCLXXXIV.]**

Rostochi[i]: Characteribus Weplingianis, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749566191>

Druck Freier  Zugang





N. K. - 2 (72.)

- 1, Zeller de partu spurcae legitimo.
- 2, Muzus de iudicibus iuribus sinei Makren bergr Jusprivus der Polygamie
- 3, Schweimmer de academicis omnium facultatum professoribus, academiis et studiorum.
- 4, Hahn de iure imperii Germanici S. Caesareae Majestati electoribus principibusque viris. singulari. —
- 5, Gaffel de statu dignitate et praecedentia pontificum Romanorum Imperatorum, regum, magnorum Sacrum, vicariorum, electorum, Archiepiscoporum, Cardinalium, patriarcharum, magistrorum Teutonici ordinis, episcoporum, Ducum, palatinorum, Landgraviorum, marchionum, Burggraviorum, principum, Praefectorum, Comitum, Baronum, nobilium, Doctorum, licentiariorum, magistrorum, militum, civitatum imperialium et Hanseaticarum.
- 6, Hahn de processu judiciario. in Germania.
- 7, aet. Emminghaus de praecipuis feminarum iuribus. Spec. I et 2.
- 8, Wentenochlegl de probanda temporis immemorialis praescriptione.
- 9, Von der Must der vomissen Meßli in Auffbung der Ungular Ordnu.
- 10, Bucher de divisione statuum imperii R. G. in corpus evangelicorum et catholicorum et legibus fundata et unitati reipublicae nostrae non repugnante.
- 11, Schnaubert. de qualitate comituali placiti regii in imperio Rom: Germ. ad votum consilii imp: aulici de 6<sup>to</sup> Novbr. 1773.
- 12, Wittius. de populo meliore et uberiore rerum ad huminem pertinentium cognitione non fraudando.
- 13, Walch de successione descendendum feudali.
- 14, Schöpfer de iure civili ius naturae determinante circa personas.
- 15, Ludwig de provocatione investiturae. Infus Jurdill.
- 16, Becker de natura ac indole correalis obligationis in genere tam, quam in specie ea delictiv. praecipue quoad expensas.
- 17, Struv de testamentis principum imperii.
- 18, P. Müller de onere dotandi filias illustres patrum apanagiatorum.
- 19, Manz el an vasallus et quoad aere alieno <sup>ante</sup> fidei joris teneatur.
- 20, Manz el de creditore per leges et conventiones in eventus morosi <sup>ante</sup> fidei et concursus magis vel minus securo.
- 21, Manz el de causa debendi speciatim iuxta ius Hamburgense.
- 22, Von Gledningel der Provinz d. X. X. und d. hiesig Abfuldung.
- 23, Schröder de classificatione usurarum in concursu ad art. 25. Part. 3.  
Tit. 1. Statut: Rostochi.

24. Rivinus de benigna doctorum interpretatione.
25. Ansel de collectis.
26. Ansel de administratione rei publicae.
27. Oertling de vicariis imperii vacante folio.
28. Renzius de nexu inter magistratum ac cives civitatum imperii fundamento et effectu.
29. Schöpfer de matrimonio per substitutum contracto.
30. Stein selectiores juris controversiae.
31. van der Keerfel jura quae pendente bello hosti in hostem competunt.

## PROGRAMMA,

<sup>2<sup>to</sup></sup>  
**ANDREAS Damsel**

D. Sereniss. Ducum Meceleburg. Consistorii Pro-  
 vin. Adfess. Pandect. Profess. Publ. & Ampliss. Facul-  
 tatis Juridicæ ad hunc actum,

DECANUS,

Suo & DNN. Collegarum nomine,

<sup>Ad</sup>

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

<sup>Quam</sup>

Pro consequendis summis in U. J. honoribus,  
 NOBILISSIMUS & CLARISSIMUS  
 J. CANDIDATUS,

DN. JOANNES Grause/

ROSTOCHIENSIS,

DE

COLLECTIS

Ad d. XX. Martii, in AUDITORIO MAJORI,

Solenni more ventilandam constituit,

Omnes literatos, & qui literatis benè cupiunt, observan-  
 ter & officiosè invitât.

ROSTOCHL, CHARACTERIBUS WEPLINGIANIS, Univ. Typ.  
 ANNO. M DC LXXXIV.



**Q**um omnis Resp. sine qua nec Imperium, nec obsequium, ex duabus partibus, magistratu & subditis composita sit, communi vinculo, & quasi cognatione quadam, ad bene beateque vivendum a deo inter se devinctis, ut nihil in societate civili, quam magistratus & populus, ceu anima & corpus, in amore sit conjunctius, & qui has partes divellit, ipsam Remp. manifesto destruat: illum & pacis & belli tempore legitima imperii administratio, hunc obsequii gloria, maximè commendat. Administrationis verò officium in Magistratu se tunc exerit, cum non parti aut quorundam, aut suæ suorumque commodo, sed universæ publicæ rei consulit. Nam, ut Tullius noster de Officiis: *Omnino, qui Reip. praefuturi sunt, duo Platonis precepta teneant: Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne cum partem aliquam tueantur, reliquas deserant.* Cujus publici privatiqve civium egregii ita magistratum studiosum esse decet, ut opprimi se onere officii & egestate malit, quam contra officium, cum Reip. & civium damno, imperare. Quo enim auctoritate & honoribus populo prior est, servus cetera, siquidem legitimè defuncturus officio, non sibi victurus, sed aliis, quan-

quandoquidem imperium nihil quàm alienæ salutis eura est:  
ipse instar lucernæ, ad salutem non propriam, sed aliorum de-  
stinatus. Nasicam laudat Paterculus, quod non cognatio-  
nem Patriæ, sed patriam cognationi prætulit, quicquid  
publicè salutare non esset, privatim alienum existimans. Ut  
enim tutela, sic procuratio Reip. ad utilitatem eorum qui  
commisi sunt, non ad eorum quibus commissa, gerenda est.  
Quod Claudianus Honorium docet:

*Tu civem, patremque geras, tu consule cunctis,  
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.*

Qui è publico suum suorumque privatam duntaxat commo-  
dum quærit, nec, nisi gravidâ dextrâ sollicitatus, singulorum  
curam habet, publicum ita procurans, ut quod in Rep. opti-  
mum, sibi suisque applicet; ex aliorum ære inania suas depel-  
lens; suosque loculos augendo, aliorum mille technis turpiter  
ex hauriens, & mancipi plebem depauperans: nã ille haud ma-  
gistratus, sed prædo est. Nam ex Ciceronis sententia lib. 1. de  
Legibus: *ut quisque maximum ad suum commodum refert, quacun-  
que agit, ita minimè est vir bonus: & Demosthenis, quo magis res pri-  
vate eorum, qui publicas functiones habent, augentur, eo magis  
Resp. minuitur.* Subditi verò inter omnes virtutes, quas magi-  
stratui debent, veneratione, & obeundis Reip. muniis, officium  
suum explent. Liberto & filio, semper honestam & sanctâ per-  
sonam patris ac patroni videri debere, Jurisconsultus Ulpianus  
respondit: *Quidni subditi magistratus? Et Seneca in Octavia  
debet timeri Casarem.* Magnifica Equitis Romani M. Terentii vox  
de Tiberio: *Tibi summum Imperium Dii dedere, nobis obse-  
quii gloria relicta est.* Ut sublimioribus potestatibus omnis a-  
nima subdita sit, tam sanctum & inviolabile subjectis Jehova im-  
perat obsequium, ut nec patriâ potestate, nec filiali officio,  
nec conjugali amore, publici sacre majestatis muneris licita de-

) ( 3

liba-



tributio. Memorabile (omissis aliis) honoris & observantiz erga Magistratum exemplum Q. Fabius Maximus est: qui à Senatu legatus ad filium Consulem Svesiam missus, cum equo vectus, à filio, ne spreto Romanorum more, ei insidens ad se accederet, per lictorem monitus, non modo illicò obsecutus, & minimè filii imperium contempturum se, sed experturum, an sciret Consulem agere, nec ignorare, quid patriæ venerationi debeatur, verùm publica instituta, privatâ pietate posteriora judicare, professus. Eminentissimè verò in Tributis magistratui solvendis subditorum munus præluceat, siquidem tunc imperatis, cum necessitas & utilitas postulat. Sacratum & venerationissimum gentiumque jus esse, cumque regnis & imperiis capisse, ut tributa conferantur iis, sub quorum sacro auspicio, tam pacis, quàm belli tempore, res & personæ civium in tuto esse possint, omnis ævi historia declarant. Jus Regis Israelitarum, fructus & vineas illorum decimaturi, Spiritu Prophetico Samuel designat. Factus est Moab Davidi sub tributis serviens. Salomon Adoniram filium Abda, super tributa constituit. Menachem Rex Israel, ut Phul Regis Assyriorum hostilitatem à se averteret, & regno potiretur, mille pondo argenti solvit, cui colligendo tributum ditioribus indixit. Reges Orbis, à quibus tributum aut censum exigunt, à suisne an ab alienis? Simonem Salvator interrogavit: Et Judæorum Præsulibus, de vectigalium, illorumque jurium ratione quærentibus, reddite, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ DEI sunt, DEO, respondit. Cyrus, primus Persarum Rex, atque Cambyses, nihil dum circa tributa instituere, spontaneis subditorum muneribus contenti: donec Darius Hystaspis filius, tributum imperaret, tolerabile tamen. Augustus universum orbem in censum retulit. Quippe cum Reges creati essent, & regna constituta, nec nisi mediis necessariis sustineri potuerint, subsidia illis destinari, necessitas jussit. Quæ juxta utilitatem

utilitatem, hoc suo quoque jure sibi vindicavit, ut Reges, ratione jurisdictionis, & administrationis, omnium subditorum bonorum quasi dominos efficeret, ut tantum ex universis Reip, & privatorum bonis decerpere possit Majestas, quantum exigit necessitas. *Quantum Justinianus Imperator, impossibile est, inquit, ut sacris tributis non illatis, aliouin Resp. conseruetur. Nobis autem prorsus nihil inde, præter istarum rerum curas habere contingit.* Et convenienter Florus, vectigalia patrimonium Imperii, & Tullius, ornamenta pacis, ac belli subsidia, vocat. Ea Menenius Agrippa, facundus vir, plebi Romanæ, in sacro monte secedenti, pulcherrimo apologo commendavit. *Quemadmodum totum corpus, alimentis ventriculo subtractis, ad tabem redigi necesse est; ita tributis Magistratui denegatis, extremam Reipubl. perniciem impendunt.* Et Pecilius Cerealis, ut Tacitus adnotat, *neque quietem gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi, recte judicavit.* Hinc, ut ab eodem relatum; cum Neroni, primo illo suo quinquennio, tollendorum tributorum, idque pulcherrimum donum generi mortali-um dandi, voluntas incessisset, impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuerunt Senatores: dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus Respublica sustineretur, diminuerentur. Cum itaque nullum regnum sine oneribus unquam extiterit, nec sine his subsidiis, Magistratus præclari quicquam in Republ. efficere possit, ea morosè denegare, & cum damno imponentis impedire, grande nefas semper habitum. Ceterum, ut ex salutaribus institutis fere omnia mala nata exempla sunt: sic moderata exactio- num initia, postea in immensum ex crevère, magisque pro- utilitate imperantium, quam parentium invaluere: quæ postera ætas malo more, maloque jure lequi didicit; tot diversis collectarum speciebus, & vocabulis excogitatis, ut his


recensendis & explicandis dies nos defieret. De quo Colle-  
ctarum seu contributionum jure, cum Nobilissimus & Præcla-  
rissimus DN. **CANDIDATUS** noster, **JOANNES Crause/**  
Rostochiensis Megapolit. ad impetrandum summos utrius-  
que juris honores, Inauguralem Disputationem publicè ven-  
tilandam proposuerit, ulterius hic dicere superfedemus: pau-  
cis nunc exposituri, quibus ille natalibus clarus, & quibus ini-  
tiis ad hunc eruditionis cultum pervenerit. Natus is Rosto-  
chii, Patre Clarissimo ac Amplissimo Viro DN. **ANDREA**  
**Crausen /** Jurispractico, & superio<sup>r</sup>is Judicii urbici  
Rostochiensis Advocato, cum superesset, solertissimo. Ma-  
tre, adhuc superstite, Femina Nobilissima, & Virtutibus con-  
spicua **ANNA MARIA Germanninen.** Avum  
paternum laudat **VIRUM** Doctissimum & integerrimum **JO-**  
**ACHIMUM Crausen /** Serenissimorum Ducum Me-  
clenburgicorum Consistorii quondam Protonotarium, & U-  
niversitatis hujus Ministrum fidelissimum. Aviam pater-  
nam, feminam Eximiam atque Piissimam, **ANNAM Gilo-**  
**wen.** Avum Maternum nuncupat Nobilissimum ac Stre-  
nuum DN. **JOANNEM German /** in Serenissimorum  
Ducum Brunsvicensium & Lunenburg. Waldovvicensi legio-  
ne, pedestris cohortis Tribunum, Aviam maternam Nobi-  
lissimam & Præclaram Feminam, **ANNAM Groteian-**  
Genitore tenerâ ætate orbus, abs Sereniss. Celsissimi Principis,  
**DOMINI CHRISTIANI LUDOVICI, Ducis Meclenburgi-**  
ci &c. &c. Domini nostri Clementissimi Consiliario, Viro  
Nobilissimo, Excellentissimo ac, Consultissimo DN. **LE,**  
**ONHARDO JOANNE Crausen /** Jcto, DN. Patruo  
parentis loco ipsi æternum venerando accitus, prima latinæ  
linguæ rudimenta doctus, S<sup>q</sup>; Sti submississimè commen-  
datus, amplissimâ gratiâ clementissimè donatus, in Belgicam  
Hispaniam fato concessit: ubi condecensibus corporis exerci-


exercitiis formatus, cum ea meditaretur, unde solida studiosiorum  
gloria & honor comparatur, Viennæ Serenissimi Ducis Resi-  
denti Consiliario, DN. à MEIRSHEIM, Jcto illustri, commen-  
datus, præter elegantiore litteraturam, in istis Philosophiæ  
partibus, quæ potissimum juri adminiculo sunt, eruditus.  
Post civili prudentiæ operam daturus, Consultissimum & Excel-  
lentissimū VIRUM DN. D. WEIGLERUM Jctum celeberrimum,  
Institutiones Juris interpretantem sedulo audivit. Donec  
vehementissima pestis oborta, illum Pragam abire coegit, un-  
de à DN. Patruo, ad Patriam Academiam ante quadriennium,  
& quod excurrit, revocatus, & ex speciali Serenissimi Rescri-  
pto, VIRI Nobiliss. Consultiss. & Excellentiss. DN. HEN-  
RICI RUDOLPHI REDEKERI Jcti, Serenissimi Ducis  
Consiliarii intimi, Ducalis Consistorii Assess. spectatiss., Pan-  
dect. Profess. celeberrimi, & post ejus novissima, meo, ipsi-  
us in functione Consistoriali & Academica successoris, con-  
victui, & in Jurisprudentiæ studio informationi commissus,  
Institutionum & Pandectarum, inter alia, super Disputations-  
ibus Schinobelianis ad Pandectas, lectoriis & Disputatoriis Col-  
legiis, publicè privatimq; uti & sub Nobiliss. Ampliss. & Con-  
sultiss. VIRI DN. GEORGII RADOVII, Jcti & Cod. P. P.  
Ordinar, incluti, Syndici Provincialis gravissimi, DN.  
Collegæ & fautoris nostri pl. colendi, auspicio, Digestorum  
Lectorio examinatorio habitis, tum in Inauguralibus, aliisque  
Disputationibus publicis opponendo, profectus suos Divæ  
Themidi sapius probavit. Quibus studiis excultus Noster,  
superiori semestri hyberno, nomen suum Amplissimæ Facul-  
tati juridicæ, decenter est professus. Admissus, ( neque enim  
honestissimo desiderio deesse debuimus ) in examine rigeroso  
& prolixo, sic eruditum se præstitit, ut ad Inauguralem Dispu-  
tationē habendā, unanimi DNN. Collegarū examinatoriū suffra-  
gio dignus judicaretur. Ad quam expediendam, cum præfatam  
nobi-


nobilissimā pariter ac arduam de COLLECTIS materiam, eruditē elaboratam, publicitus jam nunc discutiendam ediderit. Ut solennem hunc Disputat. Inauguralis actum, more Majorum, Magnificus DN. RECTOR, Admod. Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Clarissimi omnium Facultatum DNN. Professores, Doctores, Verbi Divini Ministri, Artium & Linguarum Magistri, Nobilissimi ac Præstantissimi Studiosi Juvenes, ceterique Literati, & Literatorum Fautores, splendidissimā & honorificā suā præsentia condecorare, atque Eximio DN. CANDIDATO animis, auribus, & linguis favorem suum testari dignentur, officiosè & peramanter rogamus.

P. P. Rostochii, sub Sigillo Facultatis Juridicæ, die, IX. Mensis Martii, Anno MDC LXXXIV.













PER SUBSTITUTUM CONTRACTI.

de præfenti desponsatam haberi pro uxore, quia quæ  
proximo futurum est pro facta habetur. *L. pen. de  
milit. Testam.* & quod pro cincto habeatur, qui præ  
cingendus est. *Baldus ad d. L. pen. Multo magis  
quæ actu jam copulata, habetur pro Uxore; Et hinc  
thesin perspicuis verbis confirmat L. 15. ff. de con  
Demonst. in qua asseritur: quod sponsa statim atque  
Uxor sit, quamvis nondum in cubiculum Mariti venerit  
Cinna scribit in L. 6. ff. de R. N. quod Uxor Maritum  
lugere debeat, si absens eam duxerit, & antequam ad ea  
verit, perierit. Uxor igitur est, & privilegia U  
obtinere, quæ per Mariti consensum, interveniente  
dotali benedictione, Marito juncta, quamvis copula  
lis nondum accesserit, hæc enim ne quidem de  
Saxonico desideratur, ut ut ibi consensio thalami  
faria vid. *Carpz. P. 3. C. 19. d. 4. Et quamvis Cothma  
2. Conj. 78. n. 98. Schneidw. §. 29. J. de act. n. 109. ver  
junctione carnali consummatum. & ad Tit. J. de nupt. p.  
realem concubitum necessarium putent, ac si ex co  
xtione corporum commixtæ demum opes nasca  
Harum tamen sententiæ adsentiri nefas puto, quia  
enim pudicitia ratio, ne curiosè inquiramus, quid  
solum & solam actum fuerit, præsumuntur enim  
solenniter acta fuisse. Plura interim cupidus Lect  
veniet apud Möller. *ad Const. Elect. P. 3. c. 19. n. 9. isem C  
ad d. Const. Pensol. ad Coler. Decis. 286. n. 233.***

Et sicuti re vera Uxor dicenda est, ita etiam  
post benedictionem Sacerdotalem & privilegio & h  
Mariti gaudet. *Mey. ad Jus Lub. P. 2. T. 2. Art. 12. n. 264. C*

D 3

